



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XI. Quomodo supernaturalis excitatio ex naturalibus actibus Ecclesiae, seu
eorum, per quos vocatur pendere possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

Ratio argumentor secundò, quia per hanc excitatio-
nem sufficientem, datur homini posse supernatu-
raliter credere, sed sola naturalis entitas non est
sufficiens ad dandam hanc potestatem, quia est al-
tioris ordinis, & per illam eleuatur potentia ad a-
gendum ultra vires naturales; ergo necesse est vi-
talis gratia excitans sic in sua entitate eiusdem or-
dinis naturalis. Tertio potest hoc declarari, quia
non est impossibile infundi hominibus huiusmo-
di motus hoc modo supernaturales, & illi sunt ma-
gis accommodati ad eleuandas potètiās animæ ad
ordinem supernaturalem suau modo, & cum mai-
ori proportione respectu perfectiorum actuum su-
pernaturalium, ergo ita fieri credendum est. Con-
sequencia cum minori patet. Maior autem consti-
bit respondendo ad posteriorem rationem dubi-
tandi, quæ contra hanc partem directè præcedebat.

Et in primis in ea fumebatur actus istos non ha-
bere virtutes infusas, ad quas pertineant. Respon-
demus autem posse optimè ad dona, vel virtutes
reuerari, nam hæc assertio supernaturalis prout in
intellectu tribuitur, ad intellectusalia dona spiritus
sancti pertinere videtur, nam & in modo quo in-
funditur per specialem impulsu præuenientem,
atque in munere, seu officio cum illis donis conue-
nit, quia talis gratia est interna doctrina spiritus
sancti, ad quam duo spectant, scilicet, specialiter
dirigere intellectum, vt supernaturalia mysteria
credenda, vel amanda conuenienter apprehendat,
& de illis rectum iudicium practicum ferat. Vtrum
que autem ex his muneribus pertinet ad dona Spi-
ritus sancti, prius ad intellectum, posterius verò
ad consilium, & suo modo ad scientiam, & sapien-
tiam quatenus res propositæ dignè creditur, vel amo-
re, vel executione, vel fuga estimari possunt. Et
quamuis in principio vocationis nondum homo
repperit habitus horum donorum, nihilominus
ex motione spiritus sancti potest elicere aliquos ac-
tus, qui sunt veluti inchoationes eorum, qui actus
licet sint imperfecti, nihilominus in modo, quo
circa sua obiecta versantur, eandem rationem for-
malem suæ specificationis supernaturalis partici-
pant, quam habent actus perfecti ab habitibus il-
lorum donorum elicit.

Simili modo motus huius gratiæ pertinentes ad
voluntatem, ad virtutes infusas reuocari facile
possunt. Nam si talis actus sit desiderium imper-
fectum salutis, ad spem reducit, idemque di-
cimus de perfecto timore gehennæ, si verò sit com-
placencia aliqua in bono diuino, vel affectio im-
perfecta ad Deum ipsum, inchoatio est quædam
charitatis, & cum eadem proportionem discurre
potest per alias virtutes infusas. Quibus addi potest,
quod suprà lib. 2. diximus inter actus deliberatos
harum virtutum dari aliquos, qui licet imperfecti
sint, supernaturalem substantiam, & entitatem ha-
bent. Atque hanc explicationem horum actuum
sumpsit ex Prospero lib. 2. de vocat. gent. cap. 26.
alias 9. vbi de hac gratia excitante prius dicit, in
omnibus iustificacionibus principaliter præminere. Et de-
inde declarat externum modum excitandi, tandem
verò internum ita explicat, dando intellectum, in-
spirando consilium, & corque ipsum illuminando, & fidei af-
firmationem inuoluendo. Quod si quis obiciat, quia ante
actum fidei nullus est supernaturalis motus in vo-
luntate. Respondemus id ad summum esse verum
de actibus supernaturalibus planè deliberatis, &
non in omnibus illis eodem modo, quia voluntas
credendi supernaturalis est, & non supponit actum
imperfectos, & indeliberatos sufficit practica mo-
tio intellectus per illuminationem, & inspirationem
spiritus sancti, quæ est quædam inchoatio, & ini-
tium fidei, quod habet locum in homine nondum

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

credente: nam in eo, qui iam credit, potest etiã ipsa
fides excitari, & ad ceteras voluntatis motiones co-
operari: & per hæc satis responsum est ad difficulta-
tem positã in dicta ratione dubitandi in priori parte
eius, de altera verò parte dicam in capite sequenti.

CAPVT XI.

Quomodo supernaturalis excitatio ex naturalibus
actibus Ecclesiæ, seu eorum, per quos voca-
tur, pendere possit.

Vo in titulo proponimus, quæ in vltiori ra-
tione dubitandi præcedentis quæstionis pete-
bantur. Vnum est, quomodo hæc gratia exci-
tans licet supernaturalis sit, pendere possit ex mi-
nistério hominum, & prædicatione Ecclesiæ, & ali-
is obiectis externis. Secundum est, quomodo
pendeat à naturali conatu, vel aliquo libero vsu re-
cipientis illam, de qua re disputant inter se moder-
ni Theologi; sed nullam rationem difficultatis, aut
controuersiam in hoc inuenio.

Circa primum ergo punctum suppono doctrinã
suprà traditam, scilicet, excitationem gratiæ, dupli-
ter fieri posse, scilicet, merè internis, aut per aliquã
exteriorem, vel sensibilem motionem, quæ ex do-
ctrina Augusti dicta q. 2. ad Simplicianum, & de
spirit. & liter. cap. 33. & 34. & lib. octoginta trium
quæstionum, q. 68. & lib. 1. de peccat. merit. cap. 25.
& de catechizand. rudib. cap. 4. & 5. Prosperi in
lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. & 9. alias 25. & 26. & D.
Gregor. lib. 2. Reg. suo cap. 4. & circa illa verba ca-
pituli 3. Vocauit Dominus Samuel, & D. Thomas lect.
6. in ad Roman. 8. circa illa verba, Quos prædestina-
uit, hos & vocauit. Et ratio est, quia excitatio volun-
tatis non fit, nisi præuia excitatione intellectus: ac
verò intellectus excitari potest vel immediatè ab
ipso Deo, vt ex Dei omnipotentia manifestum est,
& per obiecta sensibilia, & est illi connaturale.
Quamuis autem spectata conditione supernatura-
lium obiectorum, & actuum excitatio interna, &
specialis immediatè facta à solo Deo magis pro-
portionata videatur: nihilominus attenda hominis
conditione alter modus excitationis per sensibilia
obiecta est viatori homini magis accommodatus, &
ideo secundum legem ordinariam, & communem
hunc modum Deus obseruat, & vt vsu ipso, ac ex-
perientia constat, & ex Scriptura sumitur ad Rom.
10. Fides ex auditu, & Luc. 7. Messis quidem multas opera-
rii autem pauci: rogare ergo dominum messis, vt mittat ope-
rarios in messem suam, & ideo Actor. 10. missus est Pe-
trus ad Cornelium per peculiarem Dei reuelationem,
& c. 16. Missus est Paulus in Macedoniam rogatus,
à viro Macedo, qui per visionem ei apparuit.

Difficultas ergo posita quoad hanc partem pro-
cedit de hac posteriori, & ordinaria excitatione di-
uina, nam alia extraordinaria, & merè interna à
Deo solo in mente fit sine dependentia ab exteriori
ministerio. De hac verò ordinaria negari non po-
test, quin aliquo modo pendeat ab actibus sensi-
bilibus, quæ sunt naturales quoad substantiam.
Dicunt verò aliqui hanc dependentiam non re-
pugnare supernaturali excitationi, quia solum est
tantquam à conditione, sine qua non ex diuina pro-
videntia, & ordinatione: nam tota illa actio senti-
bilis, quæ ex parte ministrorum Ecclesiæ procedit,
solum est quali applicatio materię, circa quam
homo possit supernaturaliter operari, cuius motus
dicendi lauet Paulus 1. ad Corinth. 3. dicens: ego
plantavi, Apollo rigauit, Deus autem incrementum ad-
dit. Et subiungit, itaque qui qui plantauit est aliq-
uando

neque qui rigat, sed quid incrementum dat Deus. In negotio etiam salutis omnes ministri Ecclesie tantum plantant, & rigant, & ideo dicuntur non esse aliquid, quia non per se faciunt effectum, quamuis eorum ministerium necessarium sit, & ad eum scilicet modum, quo in fructibus sensibilibus plantatio, & rigatio necessaria est, non ut per se causet, sed ut conditio applicans actiua passiuus.

Placitum
aliorum.

Alij verò quibus hoc non satisfacit, dicunt ministerium Ecclesie non solum esse conditionem necessariam, sed etiam esse actionem causae moralis suadentis, & inuitantis exterius voluntatem: Nam talis causa aliquo modo operatur ad vocationem internam disponendo subiectum, & ideo Paulus eodem citato loco Euangelij Prædicatores vocat, adiutores Dei, & 2. Corinth. 6. ait, adiuvantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, &c. Sed hoc in re non differt à præcedenti, quia tota causalitas moralis physica non transcendit causalitatem per accidens, & iuxta subiectam materiam durum est, illam conditionem esse per modum exhortationis, & inductionis moralis, præterquam quod etiam in hoc genere causalitatis moralis aliquid deest huic exteriori excitationi ministrorum Ecclesie, propter quod etiam in genere moralis causae dici debet potius conditio necessaria, seu causa per accidens, quam propria causa per se, etiam moralis, ut videbimus.

4.
Assertio.
Ducres in
hac excita-
tione con-
siderādē, su-
pernatu-
ralitas, & gra-
tia pura.
Supernatu-
ralitatem en-
titiuē non
repugnat
ministeriū.

Dico ergo duo posse in hac excitatione diuina considerari, vnum est esse entitatem supernaturalem, aliud esse gratiam puram, seu gratis datam: neutri ergo ratione repugnat, quod ab aliquo ministerio externo, seu actione sensibili pendeat. Prior pars declaratur, quia, ut dictum est, verbum externum non est propria causa excitationis supernaturalis, sed per modum signi excitantis mentem, & quasi præbentis occasionem, ut supernaturaliter à Deo excitari possit, ergo quod illa præuia occasio, & quasi physica preparatio aut animi commotio naturalis sit, non obstat quominus motio, quæ à Deo solo per se, ac principaliter fit, in sua entitate supernaturalis sit. Addo, etiam quod licet Deus vteretur verbo prædicationis, aut specie illius menti impressa, tanquam instrumento proprio, & physico ad excitandum intellectum, hoc non obstat, quo minus illa excitatio esset in sua

Extenditur
ad sacra-
mentum Eu-
charistie in
quo corpus
Christi vim
habet exci-
tandi in no-
bis motus
supernatu-
rales excita-
tiuē. Extē-
ditur ad
ministeriū
Angelorū.

entitate supernaturalis, quia Deus potest uti re naturalis, imò corporea ad efficiendam rem supernaturalem. Vnde aliqui probabiliter existimant per diuina Sacramenta, præsertim per Eucharistiam, Deum excitare in accedentibus dignè huiusmodi affectus gratiæ, quamuis supernaturales sint. Quod autem in hac parte dictum est de ministerio Ecclesie, & externa vocatione, extendi potest ad ministerium Angelorum, & ad vocationem non solum externam, sed etiam internam, quatenus per Angelos fieri potest. Nam etiam illi non possunt per se efficere supernaturalem excitationem, hoc enim est proprium Dei, cuius solius est propriam gratiam infundere: possunt tamen ministerium aliquod adhibere, vel applicando obiecta sensibus externis, vel interiora phantasmata excitando, ut mentem hominis attendere faciant, & (ut sic dicam) Deo præbeant occasionem supernaturaliter illum excitandi.

5.
Neque re-
pugnat pu-
ra gratia.

Alter pars de ratione gratiæ probatur. Primum, quia hoc ministerium Ecclesie, per se loquendo, non inducit apud Deum aliquam rationem debiti, propter quod Deus talem excitationem supernaturaliter dare teneatur, quia solum tenetur dare concursus generalem ex natura rei debitum illis actionibus, qui sufficiunt quidem, ad excitandum in mente attentionem aliquam, vel conceptum; nunquam tamen satis erit ad excita-

tionem necessariam, ad supernaturalem concursus faciendum, nisi Deus altiori modo mentem ipsam moueat, ut supra declaratum est. Altior autem illa motio non fit debita propter prædicationem externam verbi Dei, vel aliud simile ministerium humanum, imò neque constat Deum ita promississe dare similes excitationes audientibus verbum Dei, vel oblata alia simili occasione, quin interdum eas negare possit, & neget propter hominis demerita, vel alia occulta iudicia sua.

Dico verò ulterius, quod licet de hoc esset certa lex à Deo statuta dandi (ut ita dicam) hanc efficaciam verbo Euangelij sui, ut ita sit virtus in salutem omni credenti, & quasi instrumentum ad conuertendas, & curandas animas, ideòque ad præsentiam eius infallibiliter Deus excitet mentem non ponentem obicem; nihilominus hoc non minueret rationem gratiæ in tali excitatione, tum, quia totum illud ministerium verbi Dei est ex prouidentia supernaturali, & pertinet ad gratiam Dei externam, & ita in suo genere gratis etiam datur: tum etiam, quia ipsamet prædicatione Euangelij non fit sine speciali auxilio Dei, quod auxilium licet respectu ministrorum sit gratia proximè illis concessa ad operandum, etiam est gratia respectu audientium, propter quorum fructum, vel conuersionem datur, & ideo etiam ex hac parte initium vocationis est omnino gratuitum: tum denique, quia, moraliter loquendo, illa exterior vocatione, & interior, quam Deus adiungit, non sunt veluti duæ gratiæ, sed est vna integra diuina vocatione, ad eum modum, quo ex actu interiori, & exteriori fit vnus actus moralis, & ita tota illa est vna vocatione, quæ omnino gratis datur.

Vltimò verò addo posse ministros Ecclesie inuare homines, quos inuoluunt, non solum prædicando, mouendo, & alia externa ministeria exercitando, sed etiam apud Deum pro illis, quos docent, vel gubernant intercedendo. Et hoc modo possunt conatus Ecclesie concurrere ad excitationem, seu primam vocationem alterius: etiam ad fidem, non solum per modum conditionis ordinariè requisitæ, seu causæ moralis inducentis, sed etiam per modum meriti de congruo, & impetratoris. Quia licet nemo possit sibi primam vocationem mereri, ut dicemus libro sequenti, vnus tamen iustus potest alteri illam mereri, sicut Stephanus meruit vocationem Pauli, & ita potest etiam Ecclesia, vel minister eius impetrare à Deo, ut præbeat auxilium vocationis internæ eis, quibus Euangelium prædicant, neque hoc minuit rationem gratiæ in tali vocatione, quia respectu impetrantis, seu merentis præcedit ex priori gratia fidei, vel etiam charitatis: respectu autem eius, qui vocatur, semper vocatio illi omnino gratuita datur, imò etiam gratia illa quæ Prædicatori data est ad orandum pro audiente, fuit gratuitum beneficium gratiæ ipsi vocato donatum, quia licet alteri immediatè collatum fuerit, propter ipsum fuit ei datum. Et ita quocunque modo consideretur ministerium Ecclesie regulariter necessarium ad vocandos homines ad fidem, penitentiam, vel fructum bonorum operum, rationem gratiæ in interna, & supernaturali vocatione non minuit.